

fuisse veram poenitentiam. R. I. S. Thom. non in eo paritatem facere, quod, sicut sessio non indicat cursum non processisse, sic frequens relapsus non indicat non fuisse veram poenitentiam; sed in hoc, ut dixi, quod sicut sessio sequens non destruit cursum praecedentem, si revera fuerit, ita peccatum sequens non destruit poenitentiam praecedentem, si revera fuerit; quia veritas prioris actus non excluditur per actum contrarium subsequentem. 2. N. Conseq. Disparitas est, quod, qui verè currit, non debeat proponere non sedere postea; sed qui verè poenitet, debet proponere non peccare postea. Unde, licet ex frequenti sessione non inferatur, quod non cucurrit, bene tamen ex frequenti lapsu inferitur, quod non poenituerit.

Inst. 2. Juxta S. Thom. Suppl. q. 8. art. 5. ad 2. in foro Confessionis creditur homini pro se & contra se: ergo consuetudinario, dicenti in Confessione poenitet me, fides est adhibenda. Respondent plures, hoc dictum sancti Thomae intelligendum esse de factis, quae pertinent ad Confessionem sacramentalem, ut quod poenitens hoc vel illud peccatum commiserit, quod fuerit, vel non confessus; non autem de dispositionibus, quarum Confessarius non est iudex. Quia tamen S. Doctor Opusc. 22. c. 3. sub finem videtur illud etiam intelligere de dispositionibus poenitentis, D. Ant. In foro Confessionis creditur homini pro se & contra se, si nihil obstat, C. si quid obstat, N. Obstat autem hic gravis poenitentis negligentia in adhibendis remediis contra relapsum & inolitam consuetudinem.

Inst. 3. Juxta eundem S. Doctorem dubia de proximo non sunt interpretanda in pejorem partem: ergo. R. I. Hic esse plerumque dubium, ut dictum est. 3. Dato esse dubium, equidem non est interpretandum in pejorem partem definiendo hunc esse malum; bene tamen supponendo, aut timendo, ne sit malus, dum agitur de malo vitando, aut bono promovendo, ut in presenti casu.

Obj. 3. contra eandem. Per absolutiois dilationem periclitatur salus poenitentis, si forte interim moritur: ergo. R. hoc periculum esse remotum, cum ubique adsint Confessarii in casu infirmitatis, ideoque cedere debet periculo proximo sacrilege absolutiois, quae magis vitanda est, quam mors sine absoluteione. Sed & mirum est, peccatorem timere periculum aeternae damnationis, dum salutarem agit poenitentiam, & ad paucos dies illi differitur absolutio; & non timuisse, dum adderet peccata peccatis, & in eis per menses & annos perseveraret.

Obj. 4. contra 2. Conclusionem. Juxta communem Providentiam cursum conversio peccatoris consuetudinarii est difficilis, requirit multos conatus, atque perentem & successivè: ergo non debet absolvi, nisi postquam suam conversionem multis virtutum actibus probaverit. Ant. patet iam experientia, tum exemplo Lazari quadrupani, qui juxta Aug. Tract. 49. in Joann. fuit figura peccatoris consuetudinarii, quem ut resuscitaret Christus, magna voce clamavit, infremuit, & lachrymatus est. Hinc addit Aug. Quam difficile surgit, quem molis male consuetudinis premit. ergo. R. ex dictis in probatione Conclusionis, D. Ant. Juxta communem Providentiam cursum conversio peccatoris consuetudinarii perfecta, quae pertingat usque ad integram eradicationem inolitae consuetudinis, est difficilis, fit successivè, &c. C. Hæc autem conversio non requiritur ad absoluteionem, si quidem, ut dictum est a Trid. obtineatur per satisfactiones medicinales impositas a Confessario, ideoque supponit absoluteionem. Et de hac conversione intelligitur exemplum Lazari & textus Aug. Conversio cordis, quae sita est in dolore de peccatis, & in proposito non peccandi, est difficilis, fit successivè, &c. N. juvante scilicet Dei gratia, quam nemini denegat: constat ex probatione Conclusionis. Hæc autem sufficit ad absoluteionem, & sic esse conversum prudenter judicamus consuetudinarium, qui sumquam monitus de remediis adhibendis ad illam paratum se exhibet, & præteritis se dolere profiteretur; non enim sic se gerunt, qui non sunt conversi, sed, ut advertit ipse Aug. cit. in Joann. dicitur: Non possumus tolli a consuetudine nostra.

Inst. ipse Aug. non aisi difficile & post longum tempus fuit conversus, ut ipse narrat l. 8. Confess. c. 5. ergo. R. I. Dato Ant. N. Conseq. Ex minus enim exemplo non debet concludi de omnibus, cum enim conversio sit opus gratiae & liberi arbitrii, quidam citius, quidam tardius convertuntur, quidam fortius, quidam imbecillius in suam conversionem nituntur. 2. Loquitur August. loco cit. de conversione sua plena & perfecta, scilicet de completa victoria concupiscentiarum & malorum habituum, non de conversione cordis sufficiente ad absoluteionem, seu ad Baptismum, quam nullus dubitat processisse in Aug. diu antequam susciperet Baptismum, & quem si citius suscepisset, facilis & citius malos habitus plene vicisset. Unde ipsemet l. 1. Confess. c. 11. improbat, quod dicitur distulerit Baptismum. Hac distinctione conversionis perfectæ sol-

ves plura, quæ tunc ex eodem Aug. cum ex aliis Patribus opponi possunt.

Obj. 5. contra eandem. Secundum antiquos Canones opera satisfactoria præmitti debent absoluteioni: ergo. R. ex hoc argumento, quod magno apparatu profertur rigidioris moralis defensores, nihil expungi posse in illorum favorè. 1. Absoluteio, de qua in Canonibus antiquis, probabilis non erat Sacramentalis, sed ceremonialis ad reconciliationem cum Ecclesia, & ad susceptionem Eucharistiæ, ut probabo infra, dum de satisfactione. 2. Esto, in his Canonibus agi de absoluteione Sacramentali, nihil faveret adversariis. Nam 1. Poenitentia illis prævia non imponebatur nisi jam verè poenitentibus: ergo non in eorum poenitentiae experimentum, ut volunt adversarii. 2. Non imponebatur solis consuetudinariis aut recidivis, sed etiam primò lapsis. 3. Imò multi per plures annos stadium poenitentiae decurrebant, quidam usque ad finem vite; id autem non requirunt austeriores Theologi. Denique, quod præcipuum est, res est disciplinae, quam mutavit Ecclesia, ut constat tum ex ejus hodierna praxi, quam improbare nefas est, tum ex sequentibus propositionibus damnatis. 1. Ordinem præmittendi satisfactionem absoluteioni intulit non poenitentia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex & præscriptio, natura rei id ipsum quodammodo dictante; est 16. inter damnatas ab Alexandro VII. ann. 1690. 2. Per illam praxim modo absoluteionis ordo poenitentiae est inversus: est 17. 3. Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Poenitentiae, etiam si eam plurimum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed pro abusu.

Obj. 6. contra eandem. Consuetudinarius, qui quo agitur, est in occasione proxima; consuetudo enim est illi occasio proxima: ergo. R. D. Ant. Est in occasione proxima voluntaria, N. involuntaria, C. Hanc enim retractavit per sincerum dolorem & propositum adhibendi remedia contra illam. Non denegatur autem absoluteio existentem in occasione proxima involuntaria, ut dictum est §. præced.

Inst. 1. Verisimile est, quod ex illa consuetudine etsi involuntaria, sed nondum eradicata, adhuc peccabit consuetudinarius: ergo. R. I. Ant. esse incertum, & soli Deo notum. 2. Dato Ant. N. Conseq. Ut enim homo sit capax absoluteionis, non requiritur, quod deinceps non peccet, alias nulli poenitenti danda esset absoluteio; sed requiritur, quod hic & nunc habeat verum propositum non peccandi amplius.

Inst. 2. atqui non potest prudenter judicari, quod nunc habeat istud verum propositum: ergo. Probat. subsumptum, fregit istud propositum factum in prioribus Confessionibus: ergo. R. N. Ant. Ad probationem N. Conseq. Quamvis enim ex hoc, quod prius fregit propositum factum in prioribus Confessionibus, in quibus nec correctus, nec monitus fuit de adhibendis remediis, possit esse indicium ejus propositum tunc non fuisse verum, & ideo suadenda sit Confessio generalis; inde tamen non sequitur, quod propositum, quod nunc facit, non sit verum, quia mutantur circumstantiae; acceptando enim remedia dura & difficilia dat signa veri propositi, quae non dedit in prioribus Confessionibus.

Inst. 3. Nemo concederet bona sua illi, qui haberet consuetudinem furandi, quamvis promitteret non amplius furari, & acceptaret media proposita ad non amplius furandum: ergo similiter. R. N. Conseq. Disparitas est 1. quod homines in custodia bonorum suorum non solum attendunt ad præsens propositum, sed etiam ad damnum, quod sequi potest sive ex defectu propositi, sive ex ejus mutatione, aut fragilitate. In hoc vero Tribunali magis attenditur ad præsentem dispositionem, quam ad peccatum, quod deinceps committi potest ex mutatione propositi & fragilitate; alioquin nulli peccatori, ut jam dixi, danda esset absoluteio, cum nullus sit, qui post absoluteionem non relabatur, aut relabi non possit in peccatum. 2. Quis concedere bona habenti consuetudinem furandi non est medium ordinatum ad refræandam hanc malam consuetudinem, quin patris illi faveret: ac collatio Sacramenti est medium ordinatum ad compescendam malam habitudinem & impediendum relapsum.

Obj. 7. contra 3. conclusionem. Consuetudinarius, qui post propositum amplius non peccandi, & acceptationem medicorum in priori Confessione adhuc relapsus est, fregit fidem: ergo non est amplius illi adhibenda. R. D. Ant. Fregit fidem ex mutabilitate voluntatis & fragilitate, C. Ant. ex defectu sinceritatis in priori proposito, N. Ant. & Conseq. Si enim sic fragilitatis fidem deneganda esset fides & absoluteio, cum omnis poenitens promittat non amplius peccare, deneganda esset absoluteio cuiquam recidivo etiam semel tantum, sive in eodem, sive in diverso genere peccati, quod nullus admittit.

Inst. 1. Si ille consuetudinarius omitteret remedia præscripta, censeretur non habuisse verum propositum illa adhibendi: ergo, dum iterum peccat, censendus est non habuisse verum pro-

propositum non peccandi. R. posse negari Ant. Si ut plurimum observet remedia, & aliquoties tantum omittat. Sed dato Ant. N. Conseq. Disparitas est 1. quod omittendo remedia, & iterum peccando, nihil supervit, quod possit probare sinceritatem sui propositi; secus, si scilicet observet media præscripta. 2. Cum media sint facilioris executionis, quam abstinentia a peccato, in quo vehementer inducit inveterata consuetudo, ex omissione medicorum magis colligitur defectus propositi, quam ex aliquot relapsibus.

Inst. 2. Qui semel promisit restituere injustè ablatum, & non restituit, non est absolendus: ergo. R. N. Conseq. Disparitas est, quod, qui injustè retinet alienum, sit in occasione proxima, non solum quatenus est in continuo statu peccati, retinendo alienum, sed etiam quatenus hæc injusta retentio est illi occasio sepius iterandi malam voluntatem non restituendi. Secus de simpliciter consuetudinariis, aut recidivis.

Petes 1. Quid sit dicendum de frequentè recidivis in peccata venialia? R. 1. Suppono, hos facillius esse absolvendos, quam frequentè recidivos in peccata mortalia. 1. Quia, cum peccatum mortale sit malum longè gravius, majus exigit diuinum, & firmius propositum. 2. Quia frequentiores sunt occasiones peccandi venialiter, quam mortaliter. 3. Quia, cum peccantes venialiter tantum non desinant esse Dei amici, præsumitur gratiam verè poenitentiae facillius illis conferri, quam peccantibus mortaliter. R. 2. Frequentè recidivis in peccata venialia ex subreptione potest regularitè conferri absoluteio; quia hæc sunt humanæ fragilitatis appendices, quæ stare possunt cum sincero dolore, & proposito: frequentè autem recidivi in peccata venialia ex deliberatione, ex affectu, ex consuetudine voluntaria, non sunt absolvendi, nisi subjiciantur clavibus aliquod peccatum mortale jam confessum, de quo verum concipiant dolorem, ut sit materia certa absoluteionis. Idque eo utilis facient, quod, ut advertit Auctor (Suppl. q. 10. art. 2. o.) Quoties aliquis pluries de peccatis confitetur, tantò magis pena minuitur, ex ipsa natura actus contentis, qui habet penam erubescens annexam. Et iterum (Ib. q. 18. art. 2. ad 4.) In secunda absoluteione gratiæ confertur augmentum, & quando major gratia recipitur, minus de impuritate præcedentis peccati manet, & ideo minor pena purgans debetur. Unde non est inconveniens, si per frequentem Confessionem etiam tota pena tollatur, ut peccatum omnino remaneat impunitum, pro quo pena Christi satisfecit.

Petes 2. Quæ remedia sint præscribenda consuetudinariis, & frequentè recidivis? R. Generalitèr esse præscribenda remedia contraria malis habitibus; quia contraria contrariis curantur. Sic luxurioso præscribendum est jejunium, & alie corporis macerationes; ebrioso abstinentia per aliquod tempus a vino, vel cerevisia, præsertim quoties inebriabitur; blasphemus, vel perjuro, quoties blasphemabit, aut pejerabit, quædam elemosyna, vel oratio, vel quid simile; & sic de cæteris. Omnibus verò præscribenda est meditatio quatuor novissimorum, Passionis Christi, frequens Oratio, Invocatio Sanctorum, præsertim B. Virginis, Angeli Custodis, frequentatio Sacramentorum, &c.

Petes 3. Utrum Consuetudinarius teneatur Confessario interroganti fateri suam consuetudinem? R. affirmative. Patet ex hac propositione damnata ab Innocent. XI. Non tenetur Confessario interroganti fateri peccata alicujus consuetudinem. Est 8. Ratio; quia id est necessarium, ut Confessarius cognoscatur statum poenitentis, & varia peccata, quæ ex consuetudine, tamquam ex causa voluntaria procedunt, & sunt ex hoc capite imputabilia, atque ut possit congrua remedia præscribere.

Advertat autem Confessarius, quod, dum poenitentem in absoluteum dimittit, non durè, sed benignè cum eo debeat agere; ipsique suadere se egrè, & non nisi ex necessitate, atque in bonum ipsius, absoluteionem differre, concessurus libenter aliis, cum emendatus redierit, et sic ipsi non fiat Sacramentum odiosum, sed facilius, & gratior redditus.

§. VII. Quomodo Confessarius debeat se gerere cum Moribundis inopinatè oppressis, & sensibus externis destitutis?

Duplex hic occurrit questio resolvenda: 1. an iste moribundus sit absolendus? 2. quomodo, an absolute, vel conditionatè sit absolendus?

SECTIO I.

Utrum Moribundus inopinatè oppressus, & sensibus externis destitutus debeat absolvi?

Deo 1. Absolendus est moribus, qui, priusquam destitueretur sensibus, petiit Confessarium, aut aliquod aliud signum poenitentiae dedit coram adstante, vel adstantibus, qui per se, vel per alios referant Confessario advenienti. Est Theol. Billuani Pars Tertia.

communis, & certa in variis Conciliis, & locis Juris definita. Can. 12. Concilii Arausiaci I. dicitur: Subito obmutescens baptizati, aut Poenitentiam agere potest, si voluntatis præterita testimonium aliorum verbis habeat, aut presentis in suo nutu. Idem Concil. Carthag. IV. Can. 7. Idem Toletanum XI. Can. 12. Idem cap. Qui recedunt 26. q. 6. cap. Is qui ibid. cap. Multiplex de Poenit. Dist. 1. & Rituale Romanum Pauli V. de moribundo sensibus privato dicit: Si confitendi desiderium sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est.

Ratio est; quia petiit Confessionis, seu alia signa poenitentiae, sunt quædam Confessio generalis, & implicita, seu virtualis, dum alia haberi non potest; & adstantes sunt interpretes, per quos moribundus confitetur Sacerdoti præsentem. De Decreto Clementis VIII. quod posset opponi, dicam infra, dum de Confessione per litteras.

Dico 2. Moribundus, qui professus est Religionem Christianam, etsi nullum speciale signum doloris dederit, antequam privaretur sensibus, est absolendus Huic Conclusioni contradicunt plures, & graves Theologi. Videtur tamen nunc communitior. Prob. auctoritate: 1. S. Aug. libr. 1. de adulter. conjugio c. 26. de Catechumenis, qui subito oppressi Baptismum petere non possunt, nec ad interrogata respondere, dicit: Prosit eis, quod eorum in fide Christiana jam nota voluntas, ut eo modo baptizentur, quomodo baptizantur infantes, quorum nulla adhuc voluntas patuit. Et postquam dixit, non esse condemnandos eos, qui non audent tales baptizare, addit: Sed non solum incredibile est, nec in fine vite hujus baptizari Catechumenum velle; verum, etiam si voluntas ejus incerta est, multo satius est nolenti dare, quam volenti negare, ubi, velit an nolit, sic non apparet, ne tamen creditus sit, eum, si posset, velle se potius fuisse dicturum ea Sacramenta percipere, sine quibus jam creditur, se non oportere de corpore exire. Et c. 28. Ego non solum alios Catechumenos, verum etiam ipsos, qui viventium conjugii copulati retinent adulterina conjugia, cum salvos corpore non admittamus ad Baptismum; tamen si desperati jacuerint, nec pro se respondere poterint, baptizandos puto, ut etiam hoc peccatum cum cæteris regeneratione abluatur. Quis enim novit, utrum fortassis adulterina carnis illecebra usque ad Baptismum staterant detineri? Et tandem concludit. Quæ autem Baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si forte poenitentem sentienda vita periculum præoccupaverit. Nec ipsos enim ex hac vita sine arrha sua pacis exire velle debet Mater Ecclesia. Nihil videtur expressius pro conclusione nostra. Attamen

Respondent quidam, Aug. loqui de iis, qui aliquo speciali signo petierunt Baptismum, vel absoluteionem. Verum huic Responsioni aperte contradicit textus Aug. quippe qui loquitur de eo, qui subito oppressus non potest petere Baptismum, nec ad interrogata respondere, quem dicit esse baptizandum, sicut baptizantur infantes sine ullo propriæ voluntatis judicio. De eo, inquam, cujus voluntas incerta est, de quo non apparet, an velit, aut nolit, & cui satius est dare nolenti, quam volenti negare.

Respondent alii, Aug. loqui de Catechumenis, & Poenitentibus publicis, qui, licet aliquo speciali signo tunc non indicaverint actuale suum desiderium suscipiendi Sacramentum Baptismi, vel Poenitentiae, præcesserant tamen hujus desiderii signa per adscriptionem Catechumenati, & statui Poenitentium, in eoque perseverantiam. Sed contra 1. S. Aug. non facit vim in statu Catechumenatus, seu poenitentiae; sed in hoc, quod, cum incertum sit, an Catechumenus, vel poenitens velit, aut nolit, satius est nolenti dare, quam volenti denegare. 2. Quod est in Catechumeno, & Poenitente professio Christianæ, & Poenitentiae, hoc est in fidei professio Religionis Christianæ. Unde, sicut vi suscepti status Catechumenatus, seu poenitentiae primi præsumuntur velle suscipere Sacramentum Poenitentiae, seu Baptismi, ita ultimus vi suscepti status Religionis Christianæ præsumitur velle mori cum absoluteione more Christianorum.

Inferes Ergo, juxta Aug. absolvi poterunt, qui nullo dato speciali signo poenitentiae retinent adulterina conjugia, quod, inquit Recentior, pemo unus sanæ mentis affirmat. Sed quid dicit: Nemo unus sanæ mentis, cum ipse Aug. id disertissimis verbis, non solum affirmet, sed probet, rationem subjungens: Quis enim, ait, novit, utrum fortassis adulterina carnis illecebra usque ad Baptismum staterant detineri?

2. Sacrodotele Romanum, impressum ann. 1560. Conclusio-nem nostram docet ex S. Antonino. Idem memoriale Confessorum, editum ann. 1623. a Gregorio XV. dum esset Archiepiscopus Bononiensis. Idem statuta Synodi Lemovicensis ann. 1620. c. 21. ubi legitur absoluteionem posse conferri Christiano, qui judicio, omniumque sensuum suo statim captus est, non petita Poenitentia, nulloque signo contritionis edito. Denique Henricus a S. Ignatio in sua Ethica, impressa ann. 1709. citat plusquam 40. Auctores, qui eandem Sententiam tenent.

Prob. rationibus 1. Si non liceret absolvere moribundum in

in casu Conclusionis, idem esset, quia deest materia sensibilis, scilicet Confessio dolorosa, sine qua subsistere non potest absolutio sacramentalis; atqui hæc ratio nulla est: ergo. Maj. est tota, aut saltem præcipua ratio Adversariorum. Prob. Min. Professio vitæ Christianæ conjuncta cum statu morbi est quædam Confessio generalis, & implicita, quia nullus est, aut vix ullus inter fideles, qui, instante morte, non velit confiteri, & christianè mori. Confitem. Si iste moribundus petisset Confessarium, censeretur sufficienter confessus ad recipiendam absolutionem, ut omnes faterentur ex 1. Conclusionem; atqui, qui vitam Christianam professus est, censetur pariter petere in morte Confessarium, ut mox dicebam: ergo, sicut petitio formalis facit, quod in primo ista Confessio generalis, & implicita sit sensibilis; petitio virtualis, seu professio vitæ Christianæ conjuncta morbo idem facit in secundo.

2. Licitum est uti materia dubia in administratione Sacramentorum, quando certa haberi non potest, & urget necessitas; atqui in casu Conclusionis materia sensibilis, scilicet confessio dolorosa, est dubia: ergo super illam potest proferri absolutio sacramentalis. Maj. est certa, tum ex Traditione Ecclesie, quæ non denegat absolutionem sceleratis eam in morte petentibus, de quorum tamen poenitentia merito dubitatur; tum ex communi praxi in aliis Sacramentis; tum denique, quia cum Sacramenta sint propter homines, melius est Sacramentum exponere periculo nullitatis, quam animam æternæ damnationi. Prob. Min. 1. Ex auctoritate, & rationum nostrarum pondere, quod non omnino elevat rationes contrariæ, utpotè solubilia argumenta, ut videbimus, proinde remanet dubium de materia. 2. Quia, cum quis Religionem Christianam professus est, jure præsumitur, ut diximus, velle mori christianè, & absolvi in morte, ut solent omnes fideles; probabile est, aut saltem dubium, an non omnes ejus motus corporales in hoc statu, gemitus, suspiria, intuitus fixus, aspirationes sint signa, quibus vellet indicare suam desiderium, & suam contritionem; sic enim non semel contigisse, narrat Marchantius, Decoq; Gabriel a S. Vincentio, &c. ergo materia sensibilis, seu Confessio dolorosa est dubia. Ex his rationibus, & ex testimonio Aug. patet, Conclusionem nostram esse intelligendam non solum de eo, qui vitam christianam, ut decebat, dedit, sed etiam de eo, qui verbis, & factis simpliciter professus est Religionem Christianam.

Obj. 1. Rituale Romanum, & Jura laudata in 1. Conclusionem requirunt ad absolutionem in moribundo signa poenitentiae distincta a vita christiana: ergo. R. Similia signa requirunt ad collationem Baptismi, & Extremæ-Unionis, & tamen constat sine illis hæc Sacramenta posse conferri. Itaque N. Consequ. Quia Rituale, & Jura præcipiunt, quod certum est; non autem impediunt, nec prohibent, quod probabile est.

Obj. 2. Professio vitæ Christianæ non est Confessio, aliàs sequeretur, quod fideles toto tempore vitæ confiterentur: ergo. R. D. Ant. Professio vitæ Christianæ sola non est Confessio, C. juncta statui morbi, N. Ex hoc enim quod christianè vixerit, colligitur, quod in periculo mortis velit, & petat confiteri; & sicut petitio Confessionis est materia sufficiens sensibilis ad absolutionem, ita professio christiana juncta morbo.

Inst. 1. Velle confiteri non est confiteri, qui ante alienationem a sensibus petit Confessionem; de illo enim pariter dicitur, velle confiteri non est confiteri. Nimirum ergo probat argumentum. Unde D. Ant. Velle confiteri non est confiteri explicitè, C. non est confiteri implicitè, sive virtualiter, & ad sensum Ecclesie, N. Quia Ecclesia a Christo edocta sumit in periculo mortis voluntatem confitendi manifestatam, sive per vitam christianam, sive per aliquod aliud signum speciale pro quadam Confessione generali, implicita, seu virtuali, quæ in his angustiis sufficit ad absolutionem. Adde, quod iste moribundus fortè per suos motus corporales, ut dictum est, conetur exprimere suam confessionem; unde fit confessio dubia, quæ sufficit in necessitate.

Inst. 2. Nulla est necessitas huic impendendi absolutionem: ergo. Prob. Ant. Poterit justificari per Extremam-Unionem; cum, ut probamus alibi, Sacramenta vivorum per accidens causent primam gratiam: ergo. R. N. Ant. ad probationem. Quamvis nobis sit probabilius, Sacramenta vivorum per accidens causare primam gratiam, id tamen non est certum, ideoque neutrum Sacramentum est negligendum: nec fortè superest tempus ad Extremam-Unionem, ut sæpe contingit. Possent plura opponi, sed quæ ex dictis facile solvantur.

Petes, utrum moribundus in casu, tam adstantibus, quam Confessario ignotis, nec illum habens apud se Religionis indicium, sit absolvendus? R. hunc casum videri valde dubium; nec dubio, quin plures, qui Conclusionem nostram sustinent, negabunt hunc ignotum esse absolvendum. Attamen, quia non est certum non esse christianum, & inde neque certum,

quod motus ejus corporales non sint signa, quibus vellet significare suum desiderium, & inde nascitur aliquod dubium de materia, non auderem condemnare, qui illum absolvet: sicut non foret condemnandus, qui in necessitate baptizaret in quocumque liquore, & de quo dici potest, fortè est aqua.

## SECTIO II.

Utrum iste moribundus, de Sectione præcedenti, sit absolvendus absolute, vel conditionate?

Questio non ita pridem orta est in Academia Lovaniensi, an sit valida hæc absolutionis forma, *absolve te, si sis dispositus*; quam hujus celeberrimi Academiæ alumni ut plurimum resolvunt negativè. De aliis conditionibus, ut *si vis, si sis baptizatus, &c.* non disputant, quia, inquit, sunt conditiones facti, de quibus judicare non debet Confessarius, sed per se insunt, & ideo inutiliter apponerentur, appositæ tamen nihil obstant. Hanc autem conditionem, *si sis dispositus*, vocant conditionem Juris, quia de illa debet judicare Confessarius; & ideo dicunt per eam irritari formam, quia ea adhibita desinit esse forma judicialis, qualis debet esse ex institutione Christi: sicut non esse iudicium, seu tenentia judicialis, si Judex forensis sic pronuntiat: *Adjudico hanc domum Petro, si sis dispositus*, seu, *si ad illam habeat jus*. Suppono ut certum, extra casum necessitatis non esse licitum uti hac forma conditionata, *Absolve te, si sis dispositus*, quia non fert usus, & praxis Ecclesie; tum quia præberet occasio Confessariis absolvendis quemlibet, quantumvis sceleratum, consuetudinariam, versantem in occasione proxima, imò & aperte indispositum, absque periculo sacrilegii ex hac parte, sique pessum iret disciplina Ecclesiastica in contemptum Sacramenti, & perniciem animarum. Hoc supposito,

Dico 1. Absolutio data sub conditione, *si sis dispositus*, est valida. Est longè communior, & ut arbitror, extra Academiam Lovaniensem communissima; quod enim opponitur ex Theologia morali Illustris. Genetti, non spectat validum, sed licitum.

Prob. 1. Absolvens sub hac conditione, *si sis dispositus*, absolvi absolute, nec suspenditur effectus Sacramenti; purificata enim conditione, quæ est de præsentibus, forma conditionata transit in absolutam, ut contingit in omnibus propositionibus sub conditione de præsentibus; atqui absolvens absolute valide absolvit: ergo. Prob. 2. Everto fundamentum Adversariorum. Si esset invalida hæc absolutio, idem esset, quia non foret judicialis, qualis debet esse ex institutione Christi, qui hoc Sacramentum per modum actus judicialis instituit; sicut si Judex forensis diceret: *Adjudico domum Petro, si illius sit, seu, si jus ad illam habeat*; non foret iudicium validum; quia supponeret id, de quo quaeritur, & de quo debet judicare; atqui hæc & ratio, & paritas nulla est: ergo. Maj. est totum fundamentum adversæ sententiæ.

Prob. Min. multipliciter. Hæc propositio proposita, *absolve te, si sis dispositus*, duo importat omnino disparata. Primum membrum, *absolve te*, importat actum judicialem, quo Minister, quantum in se potest, absolvit poenitentem a peccatis. Secundum membrum, *si sis dispositus*, importat dubium Ministri de dispositione poenitentis, & ejus intentionem non absolvendi, si non sit dispositus. Hæc autem duo sunt omnino disparata, ut patet; consequenter unum non contradicit alteri, nec illud vitiat, aut destruit. Confitem. 1. Intentio non absolvendi Petrum, si non sit dispositus, non destruit intentionem ipsum absolvendi, si sit dispositus: ergo neque hæc intentio conditionata expressa cum forma illam, aut actum judicialem destruit. Confitem. 2. Quando dico, *si non es baptizatus, te baptizo*, hæc propositio conditionata duo disparata importat, nec conditio pertinet ad formam Baptismi, nec est pars illius; alioquin forma Baptismi effectiva gratiæ esset ab Ecclesia, a qua est ista conditio, quod nullus admittit: ergo similiter, dum dico, *si sis dispositus, te absolvo*, conditio expressa non pertinet ad formam Poenitentiae, nec est pars illius, proindeque remanet forma judicialis, perinde ac si hæc conditio non exprimeretur.

Prob. 2. eadem Min. Idem sententiæ Judicis forensis prolata sub hac conditione, *Adjudico domum Petro, si jus ad illam habeat*, est invalida & nulla; quia Judex forensis non est institutus, ut conferat jus uti litigantium, sed ut illud declaret, & propter hoc litigantes ipsum adent, idque ab eo petunt: unde, si id non declarat, sed supponat, nihil efficit, & ejus sententiæ est nulla. At Judex sacramentalis non est institutus, ut declaret poenitentem ejus dispositionem, neque id petit poenitens, sed ut significet, & conferat gratiam remissionis peccatorum, quam significat & confert, non obstante conditione, *si sis dispositus*. Confitem. Dum Judex forensis dicit: *Adjudico domum Petro, si jus ad illam habeat*, nullus cognoscit, an sub-

-is-

istat conditio, non Judex, non litigantes, sique sententiæ est inefficax, & nulla, resque in eo statu remanet, in quo erat antea. At, dum Confessarius dicit: *Absolve te, si sis dispositus*, licet non ipse, nec poenitens cognoscat, an subsistat conditio, novit tamen principaliter absolvens, nempe Christus, qui per ministerium Sacerdotis confert principaliter gratiam remissionis peccatorum, si conditio, quam novit, subsistat. Unde, ut esset aliqua paritas inter Judicem forensis, & sacramentalem, deberet supponi, Judicem forensis esse sic institutum a Rege, ut Rex ratum haberet quicquid Judex judicaret, si veritate nitatur: est enim casus Judicis sacramentalis. In hac autem hypothese Judex nesciens pro qua parte stet jus, certus autem id a Rege sciri, non invalidè dicit: *Adjudico domum Petro, si jus ad illam habeat*, & Rex declarat Petro jus competere. Non ergo ideo sententiæ forensis est invalida præcisè, quia est conditionata, sed quia veritas sub conditione expressa est incerta, & ignota judici, & partibus, ad quas dirigitur; quod non currit in sententiæ sacramentali conditionata, quæ non dirigitur ad notitiam poenitentis, & cujus conditio est nota principaliter absolventi. Hæc & alia proferunt, qui disputant contra Lovanienses.

At dices. Numquid Confessarius debet judicare de dispositione poenitentis? R. Equidem debet judicare de dispositione poenitentis, non solum quoad contritionem, & propositum, sed etiam quoad plura alia, ut quod vivat, quod sit baptizatus, &c. si hæc sint dubia, & incerta: debet, inquam, de istis omnibus judicare, ut licitè absolvat, sed non ut valide absolvat; quamvis enim de dispositionibus non judicet, imò judicet non esse dispositiones, si tamen absolvat, verè erit poenitens absolutus, si sit dispositus. Quando ergo de dispositionibus non potest judicare, quia omnino sunt incertæ, & ignotæ, neque manifestari possunt, ad id non tenetur: & tamen, si secundum mentem Matris Ecclesie in necessitate debet absolvere, apponit conditionem, ut salvet reverentiam debitam Sacramento. Plura non addo, quia, convulso adversæ sententiæ fundamento, nihil est quod reponatur.

Dico 2. Videtur licitum in casu necessitatis absolvere sub hac conditione mente retenta, *si sis dispositus*. Ratio est. 1. Quia absolutio sub hac conditione mentali nullibi videtur improbat a Ecclesia. 2. De ejus validitate non est dubium, cum, ut audio, controversia orta Lovanii non sit de conditione mente retenta, sed de verbis expressis in forma. 3. Hanc esse licitam, communiter docent Theologi. Denique ratio statet, esse adhibendam in casu necessitatis, quando dignosci non potest dispositio poenitentis, nec scilicet Sacramentum exponatur periculo nullitatis, & irreverentie.

Quantum verò ad expressionem hujus conditionis in verbis formæ, utrum sit licita? hæret hic nihil calamus. Ex una parte, 1. non videtur, quod ullus SS. Patrum, aut Ecclesie unquam in alio Concilio, aut Rituali illam formam probaverit, seu etiam illius mentionem fecerit, licet sæpe minimas Sacramentorum ceremonias assignet, & quomodo Sacramentum Poenitentiae sit moribundis administrandum instruat; cum tamen conditionatam formam pro Baptismo, & Extrema Unionem in certis casibus admittat; & a Concilio Trid. prohibetur, ne vel excogitetur, vel mutetur Ritus aliquis a receptis Ecclesie Ritibus in administratione Sacramentorum. Ita illustrissimus Genetti in sua Theologia morali, communiter dicta Gratianopolitana. 2. Quia ab aliquot annis acriter validitas formæ sic conditionatæ impugnatur in Academia Lovaniensi, ex quo quidam inferunt reddi dubiam hanc formam: illicitum est autem in Sacramentis conferendis uti forma dubia, relicta certæ, ut constat ex propositione damnata ab Innocentio XI.

Respondent alii ad 1. innumeros Theologos omnium nationum, Italos, Gallos, Germanos, Hispanos, Belgas, &c. hanc formam conditionatam docere ut licitam, & usurpari solitam; non quidem de illa ex professo tractando, hoc est, discutendo rationes pro & contra, sed dum occasio se offert, eam ut certam, & indubitam asserendo, eamque in quorundam Episcoporum Decretis tradi. Ex quo inferunt, eam ab Ecclesia saltem tacitè probari. Ad Concil. Trid. neque sensum, neque terminos illius in verbis citatis referri. Hic est Can. 13. Concilii sess. 7. *Si quis dixerit, receptos, & approbatos Ecclesie Catholicæ Ritus, in solemnibus Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contenti, aut sine peccato a Ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiasticum Pastorem mutari posse; anathema sit.* Declarat ergo Concilium, receptos Ritus non posse in novos mutari per quemlibet Sacerdotem, id est, inferiorum, seu Parochum; non enim Concilium prohibet Episcopis inducere novos Ritus pro suis respective Diocesis, ut patet ex tot diversis Ritualibus. At, inquit, Ritus absolvendi sub conditione non est inductus per quemlibet Pastorem, sed ex communi sensu Theologorum, & ex Decretis quorundam Episcoporum, Ecclesia tacitè approbat.

Theol. Billuart Pars Tertia.

te. Addunt, in sua sententiæ Ritus receptos non contemni, nec omitti, nec in novos mutari; quod enim in aliud mutatur, non manet idem: conditio autem addita in administratione Poenitentiae, licet sit nova, cum tamen sit quid disparatum ad formam, eam in se non mutat, sed remanet eadem, ut ante in his verbis *Absolve te*. Respondent ad 2. aliquos Theologos unius tantum Universitatis, etsi celeberrimi, non esse sufficientis ponderis, ut inducant dubium in Theologia contra communissimam, & receptissimam aliorum Theologorum omnium nationum sententiam, maxime si eorum fundamentum sit solidè impugnatum. An ita sit, non ego judico pro mea erga sapientissimos, & merittimos viros reverentia; viderint alii. Hoc unum moneo, quod, cum conditio mente retenta æquivalcat verbis expressæ, & in casu sufficienti, neque de validitate formæ sub hac conditione mentali sit controversia; non est, cur sine necessitate formæ verbis conditionatæ in praxi obstinatius insistamus.

§. VIII. Quid debeat agere Confessarius, quando errorem in Confessione admisit?

Dico 1. Si ex errore Confessarii invalidam sit Confessione, ut si formam non protulit, si absolvit sine intentione, aut jurisdictione, aut indispositum, &c. tenetur, secluso scandalo, monere poenitentem in Confessione sequenti, si redierit. Si autem non redierit, & urget necessitas, tenetur monere extra Confessionem, petita prius, & obtenta illius licentia loquendi de auditu in Confessione; idque cum gravi suo incommodo, si error fuit graviter culpabilis; secus, si leviter, aut nullatenus fuit culpabilis. Quod si nec redeat poenitens, nec extra Confessionem velit dare licentiam, Confessarius de errore, & culpabilis fuit, poenitentiam agat, rem Deo commendat, & quiescat; quia functus est suo munere, quantum debuit, & potuit.

Explicantur singula. Dixi: *secluso scandalo*; quia, si Confessarius præsentiat ex monitione, etiam in Confessione, graviter commovendum poenitentem, & inde fieri odiosum Sacramentum, sive culpabiliter, sive inculpabiliter urgerit, tacet & relinquit poenitentem in bona fide, nisi urget periculum mortis, & prævideatur poenitens moriturus in statu peccati tunc enim obtenta licentia monendus est, tum propter extremam necessitatem, tum quia in moribundo non est natum sequi scandalum ex monitione. Dixi 2. *Teneri monere etiam extra Confessionem, si necessitas urgeat*, ut si poenitens defectu absolutionis sit diu mansurus in statu peccati mortalis; aut quod urgentius est, si sit in eo statim moriturus. Idque cum gravi suo damno, si error fuit graviter culpabilis. Quia recta ratio postulat, ut qui ex culpa gravi grave damnum alteri intulit, illud resarciat, etiam si inde grave damnum patiatur. Unde in 1. casu teneretur v. gr. conficere aliquot leucas, non tamen 20. aut 30. quia id censetur gravius; ad id autem teneretur in 2. casu, quia est extrema necessitas. Dixi 3. *Secus, si leviter, aut nullatenus error fuit culpabilis*; quia nemo tenetur cum gravi suo incommodo subvenire alterius noxio, quod sine sua culpa, aut sine gravi accidit. Si tamen urgeret dicta extrema necessitas, teneretur monere cum aliquo saltem suo incommodo.

Ex his inferes, quod, si abut utraque necessitas, puta, si moraliter certum sit, quod poenitens iterum, & brevi conturbetur, & ideo a præcedentibus peccatis indirectè absolvetur, non tenetur Confessarius ipsum monere, nisi in Confessione, si redeat: quia ex monitione extra Confessionem sequitur semper aliquod scandalum in poenitente, & magna verecundia, ac infamia quædam in Confessario; ut rectè advertit Nugno hic art. 4. dub. 5. Poenitens autem propter bonam fidem excusatur ab integritate materiali Confessionis securatur, in qua speratur justificandus.

Dico 2. Si ex errore sive culpabili, sive inculpabili Confessarii poenitens exponatur periculo proximo peccandi, v. gr. quia non fuit monitus de occasione proxima deserenda, in qua ideo putat posse remanere, quantumvis sit validum Sacramentum, videtur eodem modo loquendum, ac in præcedenti Conclusionem propter easdem rationes. Idem propter idem, si omiserit injungere restitutionem necessariam, aut dixerit non esse faciendam. An autem, si in hoc casu monere non possit poenitentem, tenetur loco ejus restituere? Respondimus negativè, ubi agitur de pura omissione, etsi culpabilis, dissert. 8. de Jure art. 13. §. 7. Vide.

Dico 3. Si ex errore Confessarii non sit invalidum Sacramentum, nec sequatur in poenitente periculum proximum peccandi, nec damnum respectu tertii, sed tantum præjudicium directæ remissionis aliquorum peccatorum, puta, quia omisit, etiam si culpabiliter, interrogare peccatorum species, numerum, circumstantias, &c. tenetur quidem, ut salvetur, in quantum potest, integritas materialis Confessionis, monere Poenitentem in confessione, si redeat, & possit fieri absque inconven-

Ooo 2

nien-

nienti, quale esset, si ex reficata alicujus peccati memoria Penitens magno rubore afficeretur, & inde haberet exosum Sacramentum, ut facile contingit in mulieribus circa peccata carnis. Extra Confessionem autem, secundum communioem, & nobis veriore sententiam, non tenetur mouere: quia iudicium sacramentale est jam valide finitum, nec Penitenti ultimum est inde periculum salutis, cum supponatur in gratia, & ab omnibus peccatis saltim indirecte absolutus: ex monitione autem extra Confessionem semper natum est sequi, ut jam diximus, scandalum in penitente, & in Confessario magna verrecundia, & quaedam infamia.

Dico 4. Si Confessarius absoluerit Penitentem a censura, a qua absolvi non poterat, & penitens ignoret se censura innodatum, Confessarius potest obtemperare ipsam nescientem, aut absentem absolvi: quia absolutio a censura non exigit præsertim absolvi, sicut absolutio sacramentalis a peccatis: nisi forte delicta esset restricte concessa ad absolvendum in Confessione tantum; quo casu deberet ipsum monere, secluso scandalo, ut antè.

## DIGRESSIO HISTORICA.

De veteri Ecclesie disciplina circa absolutionem datam, vel denegatam certis peccatoribus, tam sanis, quam infirmis.

Ad 6. Art. Præcedentem.

De duobus peccatorum generibus est questio. 1. De sanis, atrociorum criminum reis, præsertim Apostatis, & Mœchis. 2. De peccatoribus quibusvis, in extremo vitæ tantum penitentibus. An utrisque denegata fuerit aliquando absolutio.

## SECTIO I.

Utrum sanis, graviorum peccatorum reis, penitentibus absolutionem sacramentalem aliquando denegaverit Ecclesia?

Dico. Numquam fuit ea universalis Ecclesie disciplina, ut denegaret absolutionem sanis, atrociorum criminum reis, penitentibus. Videtur probabilior, & communior contra Petavium, Morinum, & quosdam alios. Antè Probationem nota, fuisse principium apud Catholicos receptissimum adversus Monachos, & Novatianos, frustrâ esse penitentiam, que caret venia. Ex quo colligitur, quod omnibus, qui invitabantur, ad admittebantur ad penitentiam, ejusve probata indicia proferebant, non fuerit denegata absolutio.

Prob. Conclusio 1. Apost. 2. Cor. 2. absolvi incestuosum Corinthum. S. Joann. Apocal. 2. Thyatirenses strupis, & fornicationibus addictos hortatur ad penitentiam. Multa alia profertur Auctores ex 3. primis Ecclesie sæculis usque ad tempora Tertulliani, circa quæ quidam volunt immutatam fuisse Ecclesie disciplinam, præsertim erga Apostatas, & Mœchos. 2. Ex ipso Tertulliano, antequam ad Montanistas deficeret, qui libr. de Penit. c. 4. dicit, omnibus delictis, seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate commissis, Deum veniam per penitentiam spondidisse. Et cap. 7. Offendisti, inquit, sed reconciliari adhuc potest; & enumeratis criminibus Thyatirensium, Sardorum, Pergamenorum, & Laodicenorum, subdit: Et tamen omnes ad penitentiam commonet Spiritus, sub comminationibus quidem: non comminaretur autem non penitenti, si non ignosceret penitenti.

3. Zepherinus Papa in solemnibus suo Decreto, quod refert, & vellicat Tertullianus factus Montanista l. de Pudicitia c. 1. dicit: Ego & Machis, & fornicationis delicta penitentia functis dimitto. Loquitur tantum de Mœchis, quia de his solis consultus fuerat occasione quorundam Episcoporum Africanorum, qui Mœchis, teste Cypriano, penitentiam denegabant, ut dicit infra. Hoc autem Decreto non novam invehit disciplinam, sed antiquam confirmat. Idem Pontifex recepit Natalium Episcopum de crimine hæreses penitentem, referente Eusebio libr. 5. c. 27. 4. S. Cyprianus Ep. 52. ad Antonianum ait: Miror quosdam (Novatianos) sic obstinatos, ut dandam non putent lapsis penitentiam; aut penitentibus existiment veniam denegandam. Neminem putamus a fructu satisfactionis, & spe pacis arcedendum, cum sciamus juxta Scripturarum divinarum fidem, auctore, & hortatore ipso Deo, & ad agendam penitentiam peccatores redigi, & veniam atque indulgentiam penitentibus non denegari. Ibidem laudat Cornelium Papam, quod in Communionem Ecclesie receperit Trophinum, & magnam partem populi, qui a fide defecerant, & probat Decretum, quo fuerat statutum Libellaticis admittere, Sacrificatis in exitu subvenire; quod postquam variis rationibus confirmavit, addit exemplum

Mœchorum: Nam & Machis, inquit, a nobis penitentia tempus conceditur, & pax datur. Sacrificatis diebantur, qui Idolis sacrificaverant: Libellatici, qui libellis oblati Magistratibus obtinebant, sive numerata pecunia, sive favente alicujus patrocinio, litteras attestantes, ipsos Idolis sacrificasse, quod tamen non fecerant. 5. Canon. 22. Concilii Eliberitani, quod præcipue opponitur, sic habet: Si quis de Ecclesia Catholica ad hæresim transitum fecerit, rursusque recurverit, placuit huic penitentiam non esse denegandam, eò quod cognoverit peccatum suum, &c. Observavimus autem supra, esse apud Catholicos dogma constans, eis, quibus concedebatur penitentia, non denegandam esse veniam, ne frustra esset penitentia.

Obj. 1. Tertullianus l. de Pudic. c. 1. impugnat Decretum Zepherini significat, antiquam esse Ecclesie disciplinam denegare veniam Mœchis, sicut Apostatis, & Idololatriis, Zepherinum autem suo Decreto eam immutasse pro Mœchis. Et c. 12. scribit: Hinc est, quod neque Idololatriis, neque sanguini, id est, homicidiis, pax ab Ecclesia non redditur: ergo. R. Tertulliano Montanistæ nullam esse fidem adhibendam in ii, quæ hic contra Ecclesiam Catholicam effudit: tum quia in prioribus operibus contrarium docet, ut vidimus; tum quia in eodem libr. de Pudicitia, quem post suam defectionem scripsit, sibi contradicit; agnoscit enim c. 7. Decretum Zepherini in Ecclesia servari; c. 2. impugnat sententiam Catholicorum, qui dicant omnia delicta esse condonanda, quia Deus bonus est, & non tantum ducit mortem peccatoris, quam penitentiam. Et c. 3. refellere conatur hanc alteram eorumdem rationem: Nihil agendum est frustra. Porro frustra agitur penitentia, si caret venia: omnis autem penitentia agenda est. Ergo omnis veniam consequetur, ne frustra agatur. Quibus evidenter patet, ipsum agnovisse in Ecclesia nulli crimini veniam denegari. Insuper quod dicit c. 12. pacem ab Ecclesia non reddi, non loquitur de Ecclesiis Catholicorum, sed Montanistarum.

Obj. 2. S. Cyprianus Ep. 14. & 52. ad Antonianum scribit de lapsis penitentibus, qui habebant libellos Martyrum, si sint in mortis periculo, cum pace a Martyribus sibi promissa ad Dominum remittantur; ceteri verò, qui non habebant libellos a Martyribus, expectent antè de domini protectione Ecclesie ipsius publicam pacem. Ergo iis penitentibus, qui carebant libellis Martyrum, etiam in infirmitate venia denegabatur. R. D. Consequens: ergo penitentibus, qui carebant libellis Martyrum, etiam in infirmitate denegabatur venia, sumpta pro admissione ad Eucharistiam, & perfecta reconciliatione cum Ecclesia, C. sumpta pro absolutione sacramentali, N. Discrimen igitur, quod ponit Cyprianus inter eos, qui libellis Martyrum erant muniti, & alios, est, quod primis in gratiam Martyrum aliquid de severitate penitentiae remittebantur, & si in periculo mortis versarentur, concedebatur perfecta reconciliatio cum Ecclesia, & participatio Eucharistie, quæ denegabatur aliis. Quod autem scribit Cyprianus laudata Ep. 52. quosdam Episcopos denegare pacem Mœchis; hæc fuit singularis aliquorum disciplina, quam ipse non approbat, nec approbat Ecclesia. Et, cum ibid. dixit sub finem, desertores occisos pro fide non esse admittendos ad pacem Ecclesie, loquitur de iis, qui occubuerant ab Ecclesie unitate præcis in schismate Felicissimi.

Obj. 3. Concilium Eliberitanum in Hispania circa ann. 305. pluribus Canonibus statuit, absolutè denegandam esse etiam in fine Communionem Apostatis, Homicidiis, Mœchis, Relapsis, Fœminis, quæ, relictiis viris, alii nubunt, lenocinium exercentibus, Virginibus sacris in fornicationem lapsis, Sacerdotibus Mœchis, &c. etiam antè infirmitatem peitissent: ergo. R. hoc Concilium per Communionem non intelligere absolutionem Sacramentalem, sed perfectam cum Ecclesia reconciliationem, & Eucharistie participationem. Patet 1. ex can. 22. ubi, ut diximus, decernit, non esse denegandam penitentiam hæreticis redeuntibus; iis autem, quibus concedebatur actio penitentiae, non denegabatur absolutio, ut etiam diximus. Neque refert, quod loquatur tantum de hæreticis, quasi innens aliis penitentiam denegari: idè enim de hæreticis tantum loquitur, quia quidam Episcopi illos a penitentia rejiciebant. Patet responsio ex can. 47. in quo de adulterio relapso dicit: Placuit ulterius illum non edere de Communionis pacis, aliis, panis. Et can. 32. Diaconis confert facultatem conferendi lapsis Communionem, quod non potest intelligi de absolutione Sacramentali. Lege insuper can. 3. & 37. Adde, quod ita intellexerit Innocent. I. Ep. 3. c. 2.

Cæterum, si quis obstinatè contendat, Concilium per Communionem intellexisse absolutionem Sacramentalem; respondendum est cum Melchioro Cano de locis Theol. l. 5. c. 4. Bellarmino l. 2. de Imaginibus c. 9. Latome de cultu Imag. Bannessio 2. 2. q. 1. singularem fuisse hujus Provincie disciplinam, quam nunquam probavit Ecclesia.

## SECTIO II.

Utrum peccatoribus quibusvis, serò & in exitu tantum penitentibus, absolutionem Sacramentalem aliquando denegaverit Ecclesia?

Dico. Probabile est, peccatoribus, serò & in exitu tantum penitentibus, nunquam ab Ecclesia denegatum fuisse absolutionem Sacramentalem. Videtur communior contra Morinum, Natalem Alexandrum, & paucos alios.

Prob. 1. Ex Concilio generali Nicæno 1. can. 13. ubi sic statuitur: De his, qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regularisque servabitur, ita ut si quis egredietur e corpore, ultimo & maxime necessario viatico minime privetur. generatim autem omni culibet in exitu posito, & poscenti sibi Communionis gratiam tribui, Episcopus probabiliter (seu postquam probaverit) dare debet.

Neque dicas, hunc Canonem intelligendum esse de iis, qui penitentiam studium decurrunt; eò quod de iis duo priores Canones loquuntur. Est enim prima pars Canonis de iis tantum esset intelligenda, secunda pars tamèn est generalis & comprehendit quoscumque peccatores sive in sanitate, sive in infirmitate tantum penitentes, ut patet ex terminis. Idem statuit Concilium Carthag. IV. can. 76. 77. & 78. 2. Cælestinus Papa Ep. 2. ad Episcopos Provincie Viennensis & Narbonensis c. 2. ait: Agnovimus, penitentiam morientibus denegari, nec illorum desiderii annui, qui obitu sui tempore hoc animæ suæ cupiunt remedio subveniri. Horremus, fateor, tantæ impietatis aliquem reperiri ut de Dei pietate desperet; quasi non possit ad se quovis tempore concurrere succurrere, & periclitantem sub onere peccatorum hominem, pondere, quo se expectari desiderat, liberare. Quid hoc rogo aliud est, quam morientis mortem addere, ejusque animam sua crudelitate, ne absoluta esse possit, occidere? Adidit exemplum latronis, & plura alia. Refertur cap. Agnovimus 26. q. 6. impietatem autem & crudelitatem nunquam probavit, aut fecit Ecclesia. Idem S. Leo Ep. laudata ad Theodorum Forojulensem. 3. In jure causa 26. q. 6. c. Si Presbyter ex Julio I. qui obiit ann. 351. sic decernit: Si Presbyter penitentiam morientibus denegaverit, reus erit animarum, quia Dominus dicit: Quicumque dicit conversus fuerit peccator, vita vivet & non morietur. Vera enim Confessio in ultimo tempore esse potest, quia dominus non solum temporis, sed etiam cordis inspector est, sicut latro unius momenti penitentiam meruit esse in paradiso in hora ultima Confessionis. 4. Rem aperte definit Concilium Trid. Sess. 14. c. 7. his verbis: Pæ admodum, ne hac ipsa occasione (reservationis casuum) aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque idè omnes Sacerdotes quoslibet penitentes a quibuslibet peccatis & censuris absolvi possent.

Verum his duo opponuntur, quæ, ne quid dissimulemus, difficultate non carent. Primum ex S. Cypriano, qui laudata Ep. 52. ad Antonianum dicit: Idcirco, frater charissimè, penitentiam non agentes, nec dolorem delictorum suorum toto corde & manifesta lamentationis sue professione testantes, prohibendos omnino censuimus a spe communicationis & pacis, si in infirmitate atque periculo caperint deprecari; quia rogare illos non delicti penitentia, sed mortis urgentis admonitio compellit, nec dignus est in morte accipere solatium, qui se non cogitavit esse moriturum. Idem decernit Concilium Arelatense ann. 314. can. 22. Secundum ex Innocentio I. (obiit 417.) qui ab Exuperio consultus, quid agendum esset cum peccatoribus, qui in extremo vitæ tantum petunt Penitentiam & Communionem, Ep. ad eundem data respondet: De his observatio prior durior, posterior interveniente misericordia inclinatur est. Nam consuetudo prior tenuit, ut concederetur penitentia, sed communitio negaretur. Nam, cum illis temporibus crebre persecutiones essent, ne communitio concessa facilitas homines de reconciliatione securos non revocaret a lapsu, negata merito communitio est, concessa penitentia, ne totum penitus negaretur, & durior remissionem fecit temporis ratio. Sed, postquam Dominus nossem pacem Ecclesie suis reddidit, jam terrore depulso, Communionem dari abentibus placuit, & propter Domini misericordiam quasi Viaticum profecturis, & ne Novatiani Hæretici, negantis veniam, asperitatem & duritiam sequi videantur. Tribuitur ergo cum Penitentia extrema Communitio, ut homines hujusmodi, vel in supremis suis penitentes, miserante Salvatore nostro, a perpetuo exitu vindicentur. R. utrumque per Communionem intelligere vel participationem Eucharistie, vel perfectam reconciliationem cum Ecclesia, quoad scilicet societatem fidelium & cum eis participationem in orationibus, oblationibus, &c. Constat enim, veteres has voces Communitio, communicatio, pax, reconciliatio, usurpasse promiscuè ad significandam vel absolutionem Sacramentalem, vel Eucharistie participationem, vel

reconciliationem cum Ecclesia: ut autem sciatur, quo sensu usurpentur, attendendum est ad subjectam materiam & circumstantias. Hoc diverso sensu S. Cyprianum has voces usurpasse, constat ex Ep. 12. ubi facultatem dandi pacem & reconciliationem concedit Diaconis, intelligens dubio proci pro hac voce, non absolutionem Sacramentalem, sed Communionem Eucharisticam, vel reconciliationem cum Ecclesia. Similiter Innocentium eodem sensu loc. cit. accepisse id Communionem, liquet; quia dicit iis, de quibus agitur, concedi penitentiam, per penitentiam autem intelligit absolutionem Sacramentalem, & non, ut quidam volunt actionem penitentiae, cujus quippe erant incapaces morientes. Sed estò intelligeret actionem penitentiae, perinde est; frustra enim concessa fuisset penitentia, quæ esset sine venia, ut notavimus supra ex communi sensu tunc Catholicorum. Cum ergo negat illis pari Communionem, intelligit non de absolutione Sacramentali, sed vel de Communione Eucharistica, vel de reconciliatione cum Ecclesia.

Inst. 1. Juxta veterem disciplinam ætate S. Cypriani non dabatur absolutio Sacramentalis, nisi post peractam penitentiam, & statim datam absolutionem sequebatur Communitio Eucharistica & reconciliatio cum Ecclesia: ergo iis, quibus denegabatur Communitio Eucharistica & reconciliatio cum Ecclesia, non concedebatur absolutio Sacramentalis. R. 1. N. Maj. Cujus contrarium probabimus in Digressione Historica post Dissert. de Satisfactione. 2. Dato, Majorem esse veram de lege ordinaria; scilicet tamèn in certis casibus, præsertim instante mortis periculo; tum enim dabatur absolutio Sacramentalis absquè vel Communione Eucharistica, vel reconciliatione cum Ecclesia, quæ fiebat per impositionem manuum Episcoporum & Clerici: Patet ex can. 78. Concil. IV. Carthag. qui sic legitur: Penitentes, qui in infirmitate Viaticum Eucharisticum acceperint non se credant absolutos sive manibus impositione, si supervixerint. Vides, absolutionem Canonicam & cæremonialem non datam fuisse cum Sacramentali. Item ex can. 3. Concilii Arausiaci I. qui sic habet: Qui recedunt de corpore penitentia acceptata placuit sine reconciliatoria manibus impositione eis communicari, quod morientis sufficit consolationi secundum definitiones Patrum, quæ hujusmodi Communionem congruenter Viaticum nominant. Habes iterum duplicem Communionem; unam, quæ Viaticum nominatur, & erat Communitio Eucharistica, vel absolutio sacramentalis, sine qua nullus de vita migrabat; alteram quæ dicitur Reconciliatoria manibus impositio, quæ erat absolutio Canonica & cæremonialis, & quæ ad aliorum terrorem quandoquæ sacramentaliter absolutis denegabatur.

Inst. 2. S. Cyprianus asserit, negandam esse pacem iis, qui impenitentes dolorem delictorum suorum toto corde non testantur, & qui eam rogant, non delicti penitentia, sed mortis admonitione compulsi; atque, ubi deest dolor & penitentia de peccatis, non solum Communitio Eucharistica, & Canonica, sed etiam sacramentalis absolutio est deneganda. R. Cyprianum velle pacem, scilicet Ecclesiasticam, esse denegandam iis, qui huc usque impenitentes fuerant, & dolorem suum præsertim acibus non significaverant, quique nunc eam petunt non delicti penitentia, quæ præcesserit, sed præsentis penitentia, quam ex admonitione mortis concipiunt. His autem potest concedi absolutio sacramentalis; quamvis tunc ex severiori disciplina, & ad aliorum terrorem, ut jam dixi, iis denegaretur communitio Eucharistica & Canonica, quæ fuisset ipsis majus solatium.

Inst. 3. Innocentius Communionem, quam dicit secundum priorem observationem negatam, & postea concessam, vocat remissionem & reconciliationem, quod maxime convenit absolutioni sacramentali. 2. Dicit, denegatam prius fuisse Communionem, ne Communionis facilitas homines de sua reconciliatione securos faceret; quod etiam proprium est absolutioni sacramentali, quæ nos Deo reconciliat. 3. Dicit, secundum posteriorem observationem concessam esse Communionem, quam denegabat prior observatio, ne Ecclesia videretur sequi asperitatem & duritiam Novatianorum: negabant autem Novatiani dandam esse absolutionem sacramentalem. 4. Et præcipue dicit posterius, concessam fuisse cum Penitentia extremam Communionem, ut homines hujusmodi a perpetuo exitu vindicarentur; migrantes autem cum absolutione sacramentali, si eam dabat prior observatio, non subsissent perpetuum exitum: ergo. R. ad 1. nomine remissionis & reconciliationis posse vero sensu intelligi reconciliationem cum Ecclesia, & participationem Eucharistie propter gratiarum abundantiam. Ad 2. rectè etiam dicitur, participationem Eucharistie & reconciliationem cum Ecclesia denegari, ne facilitas Communionis reddat homines de sua omnimodò reconciliatione securos. Ad 3. Novatiani non solum absolutionem sacramentalem, sed etiam Eucharistiam certis peccatoribus denegabant. Ad 4. Communitio Eucharistica & Canonica hujusmodi homines vindicat a perpetuo exitu, quatenus suo modo eos juvat in opere salutis: scilicet, si diceremus participationem Eucharistie, & priorum preces nos præservare a morte æterna.

Ceterum hæc dicta sint probabiliter, & ad concilianda varia traditionis testimonia, quæ aliquin sibi contradicerent, ut patet ex probationibus conclusionis. Sed esto, Cyprianum, Innocentium, & Concilium Arelatense locutos fuisse de ablu-tione sacramentali, nihil officeret sententiæ assertæ §. 6.

## DISSERTATIO VII.

## DE QUALITATE CONFESSIONIS.

D. Thom. Suppl. Quest. 9.

## ARTICULUS I.

Utrum possit esse Confessio informis &amp; valida?

Confessio dicitur informis, quæ caret vel absolute valida, quæ est forma sacramentalis; vel gratia, quæ est quasi forma ultima & intrinseca, ad quam ordinatur. Quæstio non est de Confessione informi primo modo; constat enim, quod sic non possit esse valida, ut pars Sacramenti, seu in substantia sacramentali, de quo agitur, si quidem sine valida absolute non subsistat Sacramentum: quamvis possit dici valida hoc sensu, quod si quis defectu sufficientis dispositionis invalide absolvetur, non tenetur Confessionem repetere eidem Confessario, si adhuc ejus status recordetur, sed tantum dispositionis defectum confiteri, & iterum absolvi. At, ut dixi, non est hæc præsens quæstio. Sed, utrum possit dari Confessio valida cum absolute valida, quæ tamen caret effectu, scilicet consecratione gratiæ; quod est idem ac querere, utrum possit esse Sacramentum Penitentis informis & validum. Partem affirmativam videtur asserere Auctor hic q. 9. art. 1. & eam tenent antiquiores Thomistæ: quia tamen infra q. 29. art. 8. videtur hanc sententiam retractare, partem negativam tenent hodie plures Thomistæ, & extranei communiter. Unde

Dico. Non videtur posse dari Sacramentum Penitentis informis & validum. Prob. Juxta Trid. sess. 14. c. 3. Conditio & Confessio sunt materia, & partes essentialia Sacramenti Penitentis; conditio scilicet, quæ sit de peccato, ut peccatum est, & malum Dei, consequenter cum amore ejus super omnia, ut probavimus, dum de contritione; & Confessio, quæ penitens omnia peccata, quorum post diligens examen recordatur, declarat, ut docet idem Concilium c. 5. Vel ergo illa conditio & Confessio adsunt, vel non; si adsunt, infallibiliter sequitur gratia, nihil enim aliud cum absolute requiritur si non adsunt, invalidum est Sacramentum, utpote carens materia & partibus essentialibus. Et in hoc differt Sacramentum Penitentis ab illis Sacramentis, in quibus, quæ necessaria sunt ad eorum constitutionem; non sunt dispositio sufficientis ad gratiam, & ideo possunt esse valida & informis, sic v. gr. Baptismus subsistit sine contritione, quæ tamen requiritur ad ejus effectum, scilicet gratiam. Confirm. auctoritate D. Th. qui infra q. 29. art. 8. o. agens de Extrema-Uncione dicit: *Hoc Sacramentum (Extremæ Uctionis) non habet aliquem effectum, qui semper ex operatione Ministri consequatur, omnibus, quæ sunt de essentia Sacramenti, etiam rite peractis, sicut character in Baptismo & Confirmatione, & transubstantiatio in Eucharistia, & remissio peccati in Penitentia, existente contritione, quæ est de essentia Sacramenti Penitentis, non autem de essentia hujus Sacramenti, ergo juxta S. Th. Conditio est pars essentialis Sacramenti Penitentis; & ea posita habetur ejus effectus, & scilicet remissio peccati, sique non potest esse validum & informis.*

Obj. 1. S. Th. hic q. 9. art. 1. integro docet expressè, posse dari confessionem informem & validam: ergo, respondeo, S. Th. posse intelligi de Confessione, quam non sequitur absolute valida, prout explicuimus ante Conclusionem, ideoque S. Doctorem dixisse Confessionem informem & validam, non verò Sacramentum Penitentis informis & validum. Verum, quia ista explicatio minus conformis videtur textui, ut legitur patebit; ideo melius R. cum Sylvio & pluribus aliis Thomistis, hanc sententiam tacite retractasse infra q. 29. citata. Notandum enim, quod q. 9. suppl. desumpta sit ex sententia, D. 17. & q. 29. suppl. ex D. 23. Neque dubium est, quin S. Doctor accuratius hanc materiam tractasset, si Summam perfecisset.

Obj. 2. Plus est esse pars Sacramenti, & simul dispositio sufficientis ad gratiam, quam esse pars tantum: ergo potest dari conditio, quæ sit pars tantum Sacramenti, & non sufficientis dispositio ad gratiam. R. D. Conseq. Potest dari conditio, quæ

præcedenti de hujusmodi peccatoribus nunc absolvendis; quia hæc prior discipline severitas instante introducta (si revera fuerit), persecutione cessante, cessare debuit, ut loquitur Innocentius.

sit pars tantum, &c. absolute & seclusa institutione Christi, C. supposita institutione Christi, N. Institut enim Christus, quod conditio, quæ esset pars Sacramenti, esset simul dispositio sufficientis ad gratiam, quia requisivit contritionem de peccato, ut peccatum est, & malum Dei, quæ conditio esse non potest sine amore Dei super omnia; & hoc cum absolute sufficit ad gratiæ consecutionem.

Inst. 1. Qui doleret de peccato furti, & non de peccato blasphemis, quia illius non recordatur, iste dolor esset pars Sacramenti, & tamen non sufficeret ad remissionem peccatorum, quia unum non remittitur sine alio; & nullum remittitur, nisi sit per dolorem retractatum. Item, qui doleret de omnibus peccatis dolore supernaturali, quem bona fide crederet esse cum amore Dei super omnia spe venis, &c. & tamen non esset, ejus dolor videtur sufficere ad esse Sacramenti, alias foret continua anxietas de Confessionibus repetendis, & tamen non sufficeret ad gratiæ consecutionem: ergo. R. ad 1. vel ille doleret de peccato furti, ut peccatum est & malum Dei, & sic doleret implicite de peccato blasphemis obli- to, quia motivum doloris esset generale, & utriusque commune: vel doleret de peccato furti ex motivo particulari, puta, propter ejus turpitudinem. Si 1. iste dolor esset pars Sacramenti & simul dispositio sufficientis ad gratiam. Si 2. non esset pars Sacramenti, consequenter nullum Sacramentum. Ad 2. N. Ant. Cum enim ex institutione Christi dolor requisitus ad esse Sacramenti debeat esse de peccato, ut est malum Dei, consequenter cum amore ejus super omnia, si desit, quantumvis credatur adesse, non subsistit Sacramentum. Nec ideo sequitur in fidelibus continua anxietas de Confessionibus repetendis, magis quam ex defectu, qui potest adesse, absolutionis, aut intentionis Ministri; non enim requiritur omnimoda certitudo de validitate Confessionis, sed sufficit moralis, seu probabilis & fundata existimatio se omnia requisita adhibuisse. Si forte fallatur, excusantur ratione bonæ fidei, & per subsequentem Confessionem debito modo factam justificabuntur.

Inst. 2. Nemo tenetur confiteri peccatum, cujus non recordatur: ergo nec de eo conteri. R. 1. Concesso integro argumento, sequitur, quod sicut illa Confessio, quantum est ex se, sufficeret ad consecutionem gratiæ, ita sufficeret illa conditio, & sic non esset Sacramentum informis. 2. N. Conseq. Quia Confessio alicujus peccati invincibiliter obli- to est impossibilis; Deus autem impossibilia non jubet; at conteri implicite de peccato obli- to ex motivo scilicet generali illi & ceteris communi, non est impossibile.

Inst. 3. Qui, ignorans invincibiliter scitu necessaria necessitate mediæ, doleret ut debeat de omnibus peccatis, haberet dolorem requisitum ad esse Sacramenti, & tamen non consequeretur gratiam peccatorum remissivam: ergo, R. N. Suppositum Antecedentis. Deus enim huic non daret gratiam sufficientis contritionis absque gratia fidei illorum, quæ sunt scitu necessaria necessitate mediæ. De quo, dum de Fide.

## ARTICULUS II.

De integritate Confessionis.

§. I. Utrum Confessio debeat esse integra?

Duplex distinguitur Confessionis integritas, una materialis, altera formalis. Materialis est, quando Penitens confitetur, quidquid per se loquendo est Confessione obnoxium, omnia scilicet & singula peccata post Baptismum commissa, nondum debite confessis, quoad numerum, speciem, & circumstantias speciem mutantes, nullum omittendo. Formalis est, quando confitetur omnia, quæ hic & nunc confiteri potest & debet, licet aliqua omittat ex justa causa.

Dico 1. (Suppl. q. 9. art. 2.) Integritas formalis est de Juro divino necessaria ad validitatem Confessionis: ita ut penitens in

in tantum teneatur uni & eidem Confessario confiteri omnia & singula peccata quoad numerum, speciem infimam, & circumstantias mutantes speciem, in quantum aliqua justa causa non excusat. Est de fide decisa in Concilio Florentino. Laterano. & præsertim in Trid. sess. 14. c. 5. his verbis: *Constat, Sacerdotes iudicium hoc exercere non potuisse incognita causa; neque equitatem quidem illos in penis injungendis servare potuisse, si in genere duntaxat, & non potius in specie ac singillatim suam ipsi peccata declarassent. Ex his colligitur, oportere a penitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in Confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint & tantum contra duo ultima præcepta Decalogi commissa. Qui scienter aliqua retinent, nihil divina bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt: Si enim erubescat ægrotus vulnus Medico detegere, quod ignorat medicina non curat. Colligitur præterea etiam circumstantias in Confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant, quod sine illis peccata ipsa neque a penitentibus integre exponantur, nec iudicibus imputentur, &c. Et Can. 7. Si quis dixerit, in Sacramento Penitentis ad remissionem peccatorum necessariam non esse Jure divino confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occultis, & quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, & circumstantias, quæ peccati speciem mutant... anathema sit.*

Prob. Insuper. 1. Confessio est Jure divino medium necessarium ad remissionem quorumcumque peccatorum, ut patet ex præcedentibus: ergo quæcumque sunt confitenda. (Ibid.) 2. Confessarius est Medicus spiritualis in hoc Sacramento, proinde debent ipsi aperiri peccata, sicut Medico corporali morbi; atqui Medicus corporalis non debet tantum cognoscere unum morbum, sed etiam totam habitudinem ipsius infirmi, eò quod unus morbus ex adjunctione alterius aggravatur, & medicis, quæ uno morbo competeret, alteri noceret: ergo similiter Medicus spiritualis cognoscere debet omnia peccata, quippe quorum unum pariter aggravatur ex adjunctione alterius, & id, quod uni peccato esset conveniens medicina, alteri incrementum præstare potest, cum quandoque quis contrarius peccatis sit infectus. 3. Confessarius est non solum Medicus, sed et Juxda penitentis; atqui Juxda non potest recte ferre sententiam, nisi causa integre cognita, & eam non potest in hoc foro integre cognoscere, nisi per Confessionem omnium peccatorum: ergo. Has duas postremas rationes tangit Concilium Trid.

Dices 1. Reus in judicio forensi non tenetur accusare omnia sua peccata: ergo nec in foro conscientie. R. N. Conseq. Disparitas est 1. quod in foro conscientie penitens sit simul reus, testis, & accusator, non sic in judicio forensi. 2. In foro conscientie intenditur salus anime, quæ haberi non potest sine remissione omnium peccatorum. In foro autem externo queritur punio rei, quæ haberi potest, etsi non confiteatur illa peccata, pro quibus non punitur.

Inst. Potest quis absolvi ab una Excommunicatione, & non ab alia: ergo similiter ab uno peccato, & non ab alio. R. N. Conseq. Disparitas est, quod absolute a peccatis fiat per in fissionem gratiæ, quæ nullum peccatum mortale comparitur; absolute autem ab Excommunicatione fit per condonationem, seu relaxationem extrinsecam. Unde nihil obstat, quo minus una sine altera relaxetur.

Dices 2. Si necesse sit omnia peccata quoad numerum, speciem, & circumstantias mutantes speciem confiteri, Confessio erit impossibilis & carnificina conscientiarum: ergo. Ita Hæretici. R. N. Ant. Quia, observat Trid. loco cit. sufficit ad integritatem formalem Confessionis ea peccata confiteri, quæ post diligens, hoc est, humanum, & morale examen memoris occurrunt, ut patebit ex sequentibus.

Dico 2. Materialis integritas non est semper necessaria ad validitatem & fructum Confessionis; ita ut penitens possit aliquando ex justa causa omittere aliquod peccatum mortale in Confessione, stante ejus valore & fructu. Est communis & traditur a Trid. loco cit. his verbis: *Reliqua autem peccata, quæ diligentè cogitant non occurrunt in universum eadem Confessione inclusa esse intelligantur, pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: ab oculis meis manda me Domine. Eadem autem est ratio de aliis justis causis, de quibus modò, ac de obli-vione. Prob. Præceptum Christi de integritate Confessionis est positivum: ergo non est dubium, quin possit dari certi casus, in quibus ab hoc præcepto totaliter adimplendo eximatur penitens. Confirm. Confessio integra est actus humanus: ergo debet esse moraliter possibilis, nec repugnare aliis præceptis majoribus, quæ possunt occurrere, quale est v. gr. præceptum charitatis; quod enim propter charitatem est institutum, non debet contra charitatem exerceri. Jam de causis excusantibus.*

Causa, excusantes ab integritate materiali Confessionis, omnes reducuntur ad impotentiam physicam, vel moralem.

## IMPOTENTIA PHYSICA.

1. SI penitens infirmus, incepta Confessione, seu ante illam, petito Confessario, deficiat ei loquela, statim est absolvendus. Similiter, si timeatur, ne subito moriatur, aut mente, vel sensibus destituatur, auditio uno vel altero peccato; absolvatur. 2. Si sit surdus, aut mutus, vel idiotis ignarus, dum urget præceptum, aut necessitas aliqua confitendi, exprimat peccata prout moraliter potest, & absolvatur. 3. Si instante naufragio, incendio, pugna, timeatur mors, periclitantes breviter confiteantur aliquod peccatum, & absolvantur singuli seorsim, si res patiarur moram; si non, aliquod signum penitentis & Confessionis exterius ostendant, ut tumore pectoris, genuflexione, &c. & elicio actu contritionis, omnes absolvantur sub hac forma: *Ego vos absolvo a peccatis vestris.* 4. Oblivio naturalis & inculpabilis, de qua Trid. supra; quando nempe quis adhibita sufficienti diligentia non recordatur alicujus peccati. 5. Ignorantia invincibilis obligationis confitendi aliquod peccatum: potest enim contingere, quod quis vincibiliter ignoret, id, quod facit, esse peccatum, & ideo peccet faciendo; invincibiliter tamen ignoret illud esse necessario confitendum, ideoque non peccet tacendo: 1. Quia peccata sæpe sunt contra Jus naturæ, quod difficultus ignoratur; obligatio autem confitendi est Juris positivi, quod facilis ignoratur. 2. Quia peccatum ex ignorantia, licet culpabilis, commissum, quasi non esset peccatum, mali speciem non relinquit, sicut illud quod scienter commissum est; unde fieri potest, quod etiam post diligens examen non occurrat. Hinc colliges; pueros, rusticos, rudes, &c. qui bona fide in prioribus Confessionibus sic aliquod peccatum omiserunt, non semper esse cogendos ad Confessionem generalem; maxime si sit ipsis gravis & difficilis, aut timeatur aliquod nocendum; sed sufficere plerumque, ut instruantur, & peccatum omis-sum confiteantur.

## IMPOTENTIA MORALIS.

EST, quodcumque ex Confessione integræ imminet grave damnum, tam spirituale, quam corporale, sive ipsi penitenti, sive Confessario, sive alteri; cenetur enim moraliter fieri non posse, quod sine gravi damno sui, vel proximi fieri non potest: præceptum autem positivum de integritate materiali Confessionibus non obligat ad moraliter impossibile, seu ad id quod sine gravi damno fieri non potest, ut jam dixi. *Dammum ipsius penitentis*, ut si fundatè timeat, ne Confessarius, revelet suam Confessionem, aut ne confitendo ipsi quædam peccata carnalia ab eo sollicitetur ad turpia. Item, si ob sua fragilitatem veretur, ne si diutius hæret in examine peccatorum carnalium, eis iterum consentiat; tunc enim potest obiter illa peccata examinare, & Confessarius obiter interrogare, ne penitenti infirmo sit occasio scandalii. Item, si penitens sit morosus & nimium scrupulosus in accusandis & explicandis suis peccatis, cum enim sit ibi magna difficultas Confessionis, timeatur damnum penitentis; & ne fiat illi Confessio odiosa, potest prudens Confessarius, quando e re judicaverit pro bono penitentis, abrupte Confessionem, & absolvere.

*Dammum Confessarii*; ut si ex Confessione integra ipsi imminet mors, vel morbus, ut tempore pestis, vel quia ipsum insequitur hostis, aut imminet incendium, vel naufragium; tunc enim, auditio uno, vel altero peccato, potest absolvere. Item, si timeat, ne auditio certi peccati sit sibi occasio scandalii, & non sit alterius Confessarii copia.

*Dammum tertii*; ut si periculum sit, ne Confessarius utatur scientia Confessionis in damnum spirituale, vel temporale alterius. Item, si Confessarius non possit peccatum suum confiteri, nisi frangendo sigillum Confessionis, quam audit. Quidam olim inter causas excusantes ab integritate materiali Confessionis numerabant magnum populi concursum in certis solemnitatibus. Verum hanc opinionem de praxim proseripit Innocentius XI. damnando hanc propositionem: *Licet sacramentaliter absolvere dimidiatè tantum Confessor, ratione magis concursus penitentium; qualis v. gr. potest contingere in die magne alicujus festivitatis, aut Indulgentie.* Ratio est; quia istud damnum non est tanti momenti, ut dimidetur Confessio, præsertim cum periculo absolvendi indigno, ratione precipitantis & cælationis quorundam peccatorum.